



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Alexandro VII. Ad Clementem X.

Luxemburgi, MDCCXLII.

XVII. [i.e. XXVII.] Confirmatio Declarationis S. R. E. Cardinalium de cultu
immemorabili Beatæ Ludovicæ, & casu à Decretis Urbani VIII. excepto, uti
& de Missa, & Officio in honorem dictæ Beatæ, die ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74833)

ries rationum momentis tam in facto, quam in jure per utramque partem allatis, die 26. Septembris 1670. censuit revocanda esse attentata prædicta; nullum jus competere Fratibus Excalceatis Hispaniæ super illo Monasterio Ulyssipone erecto pro cura Monialium; neque esse locum dismembrationi à Religione. Et die quinta Decembris ejusdem anni 1670. censuit, non esse locum erectioni novorum Conventuum Fratrum Discalceatorum Ordinis Sancti Augustini in Regno Lusitanæ: ac propterea illos erigi aut fundari, tenore præsentis Decreti prohibuit. Et prædictis Fratibus Excalceatis circa supra scriptam controversiam perpetuum silentium imposuit. M. Card. Ginettus.

Quæ Pontifex approbat & confirmat.

§. 2. Cum autem sicut dilectus filius Hieronymus Valvasorius Prior Generalis dicti Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini nobis nuper exponi fecit, ipse Decreta hujusmodi, quo firmius subsistant, & serventur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocínio communiti summopere desideret: Nos ipsius Hieronymi Prioris Generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & penis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innotatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinanti, Decreta præinserta auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus.

Clausulæ præservatæ.

§. 3. Decernentes easdem præsentis litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab illis respectivè inviolabiliter observari.

Clausula sublata.

§. 4. Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Executo-rem deputat.

§. 5. Quocirca Venerabili Fratri Francisco Archiepiscopo Sidonien. moderno, & pro tempore existenti nostro, & Apostolicæ Sedis in Portugaliæ, & Algarbiorum Regnis Nuncio per præsentis committimus, & mandamus, quatenus ipse per se, vel alium, aut alios, ipsas præsentis litteras, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte in præmissis interesse habentium, seu alicujus eorum desuper fuerit requisitus, solemniter publicans, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistens, faciat auctoritate nostra illos, & eorum quemlibet præsentium litterarum, & in eis contentorum eorumdem commodo, & effectu pacificè frui, & gaudere; Non permitrens illos desuper à quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebitè molestari, perturbari, vel inquietari. Contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & penas Ecclesiasticas, aliaque opportuna Juris, & facti remedia appellatione postposita compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus censuras, & penas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit auxilio brachii secularis.

Contrariis derogat.

§. 6. Non obstantibus sælicis recordationis Bonifacii Papæ Octavi Prædecessoris nostri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium in judicium non trahatur, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon qua-

tenus opus sit, Congregationis Fratrum Excalceatorum Hispaniæ, & Ordinis hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permanfuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. An. die 28. Jan.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 28. Januarii 1671. Pontificatus Nostri Anno primo.

Confirmatio Declarationis S. R. E. Cardinalium de cultu immemorabili Beatæ Ludovicæ, & casu à Decretis Urbani VIII. excepto, uti & de Missa, & Officio in honorem dictæ Beatæ, die 31. Januarii in Ecclesia S. Francisci Fratrum Minorum Transyberina recitandis.

XVII

Consimile Indultum concessit in honorem Ferdinandi III. Regis Castella hic idem Pont. infra Constit. Gloriosissimos.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Agnum Ecclesiæ, quem excolendum ab æterno Agricola accepimus, nunc integritatis flore vernantem, nunc viduitatis gravitate pollentem; nunc etiam Conjugii fructibus redundantem pio mentis affectu considerantes gloriosa Sanctarum Viduarum; quæ non humanum, sed Divini Spiritus depromptum infusione Apostolicum consilium secuta cogitarunt, quæ sunt Domini, ut essent sanctæ corpore, & spiritu, ac in Deum sperarint instantes obsecrationibus, & orationibus die, ac nocte merita condignis honoribus celebranda esse censentes, & proinde tendentia in id ipsum Christi fidelium præsertim hujus Almæ Urbis nostræ, ex qua bonorum operum exempla in omnes Christiani Orbis partes assidue promanant vota libenter exaudimus; ficuti matura deliberatione prævia spirituali fidelium consolationi, atque ædificationi conducibile fore in Domino arbitramur.

Procerium.

§. 1. Cum itaque sicut dilecti filii Senatús, Populusque Romanus Nobis nuper exponi fecerunt ipsi Beatam Ludovicam Viduam Concivem suam Tertii Ordinis Sancti Francisci ex vetustissima Albertoniorum gente claris natalibus ortam, non minus pietate, quam munificentia pretiosum, Calicem, & Cereos quorundam die 31. Januarii, qua obdormivit in Domino Ecclesiæ Sancti Francisci in Regione Transyberina dictæ Urbis sitæ Fratrum Minorum Ordinis ejusdem Sancti Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum, in qua Venerabile ejusdem Beatæ Ludovicæ corpus requiescit, offerendo per longissimi temporis decursum coluerint, & in ipso Pontificatus nostri primordio Nobis humiliter supplicaverint, ut causam Canonizationis memoratæ Beatæ Ludovicæ ad effectum probandi ejus cultum immemorabilem Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum committere de benignitate Apostolicâ dignaremur.

Causillè dultii.

§. 2. Nos verò eorumdem Exponentium desiderio paterna clementia annuentes commissionè causæ hujusmodi manu nostrâ signaverimus, & in illius

vin peculiaris processus in Curia servatis servandis fabricatus fuerit, eoque per dilectum filium nostrum in Urbe prædicta Vicarium in spiritualibus generalem recognovit emanaverit ab eodem Vicario sententia super casu excepto, ac deinde prædicta Cardinalium Congregatio re acriter, & maturè discussa sententiam hujusmodi confirmaverit, ac de cultu immemorabili dictæ Beatæ Ludovicæ, & casu excepto à Decretis felic. record. Urbani Papæ VIII. Prædecessoris nostri constare declaraverit.

Declarat. ut in rubrica.

§. 3. Hinc est, quod Nos piis, enixisque Senatibus, & Populi prædictorum precibus favorabilem assensum quantum cum Domino possumus præbere cupientes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innotatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, declarationem à memorata Cardinalium Congregatione factam, ut præfertur, quod scilicet de cultu immemorabili dictæ Beatæ Ludovicæ, & casu excepto à Decretis prædicti Urbani Prædecessoris constet Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus.

§. 4. Præterea ut de eadem Beata Ludovica quotannis die 31. Januarii in prædicta Ecclesia Sancti Francisci de Urbe Officium recitari, & Missa etiam à Sacerdotibus eo die ad Ecclesiam hujusmodi confluentibus celebrari de Communi, nec Virginum, nec Martyrum juxta Rubricas Breviarium, & Missalis Romani liberè, & licitè possint, & valeant auctoritate, & tenore prædictis perpetuò concedimus, & indulgemus.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Contrariorum derogatio.

Transumptorum fides.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. A. I. die 28. Jan.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 28. Januarii 1671. Pontificatus Nostri Anno Primo.

XXVIII.

Indultum de celebranda Missa, & officio in honorem Ferdinandi III. Regis Castellæ, & Legionis per Regna Hispaniæ, & omnes eius ditiones, uti et in Ecclesia SS. Jacobi, & Ildephonsi de Urbe nationis Hispanorum die 30. Maji sub ritu duplici recitando.

De materia hujusmodi indulgendorum, vide supra ad Constitut. 27. Agrum Ecclesiæ hujus Pontificis.

Edita A. D. 1671.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Proemium.

GLoriosissimos cælestis Hierusalem Cives, illos præsertim, qui in diebus peregrinationis suæ, tamesi in rerum humanarum sublimitate positi essent, non sperarunt in lubrico divitiarum, nec in Regiæ potentia dignitatis, sed magna illa virtute humilitatis, qua fit, ut omnia terrena cacumina temporali nobilitate nutantia non humana usurpata fastu, sed divina gratia do-

nata celsitudo transcendat, solidati bellarunt bella Domini, & unico illi fundamento, quod est Christus Jesus, innixi, superædificaverunt aurum, argentum, lapides pretiosos, manentisque operis mercedem in æternæ salutis stabilitate accipere meruerunt, congruis honorum, laudumque præconiis in terris celebrandos esse merito censemus, ac proinde flagrantia ad ipsum Regem orthodoxorum non minus pietatis, aliarumque Christianarum virtutum, quam Regii fastigii splendore fulgentium vota paterno affectu exaudimus, sicut ad Ecclesiæ Catholicæ decus, spiritualemque fidelium populorum ædificationem, atque devotionem fovendam, & promovendam conducibile in Domino fore arbitramur.

§. 1. Cum itaque aliàs, videlicet, die 29. Maji 1655. Congregatio tunc existentium S. R. E. Cardinalium sacris Ritibus Præpositorum ex deductis in processu auctoritate Apostolica confecto super casu excepto declaraverit, de illo constare ex cultu exhibitio servo Dei Ferdinando III. Regi Castellæ, & Legionis cognomento Sancto per immemorabilem temporis cursum excedentem metacentum annorum ante Decreta fel. recor. Urbani Papæ VIII. Prædecessoris nostri cum scientia, vel tolerantia Ordinariorum, emanatum desuper dictæ Congregationis Decretum recolent, mem. Alexander Papa VII. etiam prædecessor noster die 1. ejusdem mensis approbaverit, & inter alia plenissimè constitit de celebratione Missarum in honorem prædicti Servi Dei, prout de Sanctis celebrari solent, tam in Sacrario veteri, quam in Capella Beatæ Mariæ Regum nuncupata Metropolitanæ Ecclesiæ Hispalensis ubi extat illius sepulchrum.

Sac. Congreg. Cardinalium quid declaraverit.

§. 2. Hinc est, quod Nos piis enixisque charissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici, ac charissimæ in Christo filiæ nostræ Mariannæ earundem Hispaniarum Reginæ Catholicæ Viduæ ejus Genitricis, precibus nobis per dilectum filium nobilem virum Petrum de Aragonia Ducem Segorbiæ, Cardonæ Regni Neapolitani Proregem, ac ejusdem Caroli Regis apud Nos, & Sedem Apostolicam Oratorem ad præstandam Nobis ipsius Caroli Regis nomine obedientiam missum super hoc humiliter porrectis favorabilem assensum, quantum cum Domino possumus, præbere cupientes, ut in omnibus Regnis Hispaniarum, & Ditionibus eidem Carolo Regi subjectis, & in Ecclesia SS. Jacobi, & Ildephonsi de Urbe nationis Hispanorum de memorato servo Dei Ferdinando Tertio Rege, Missa, & Officium de communi Confessorum non Pontificum sub ritu duplici juxta Rubricas Breviarium, & Missalis Romani quotannis in perpetuum die 30. Maji, qua idem Servus Dei obdormivit in Domino, celebrari, & ab omnibus utriusque sexus Christianis fidelibus, qui ad horas canonicas tenentur, recitari liberè, & licitè possint, & valeant respectivè, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

Indultum, sic quo in rubrica.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Decretis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Contrariis derogat.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem fides ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Transumptorum fides.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 7. Februarii 1671. Pontificatus nostri Anno Primo.

Dat. P. A. I. die 7. Febr.